

DE BUCOLICORVM GRAECORVM ALIQVOT CARMINIBVS

scripsit

Franciscus Buecheler.

I

Epitaphium Bionis carmen quo Italus aliqui iuvenis magistri mortem fleuit circa belli socialis tempora, carmen ut primum factum est minime bonum nec Theocriti tantum Thyrside verum etiam tertii poetae bucolici Adonidio longe inferius, nimio tamen plures corruptelas ab scribis Byzantinis traxit. quarum etsi plurimas demonstrare possum adhuc non ita sublatas esse ut digni fierent versus musae Siculae herede quamvis peregrino, ipse tamen certa emendatione ex gravioribus non removi nisi unam. in stropha enim quinta ubi non magis sua quondam fata nobiles lugubri sono volucres quam omnes aves Bionis interitum flevisse dicuntur versum primum (in exemplari Ziegleriano v. 37) posuere hunc *οὐ τόσον εἰναλίαισι παρ' ἧῶσι μύρατο δελφίν* paene ridicule. nam quid cum avibus rei est delphino? aut siquis animalia etiam alia potuisse accersi contenderit, quis tandem delphinum modorum flebilium voluit esse cantorem? sane quidem de mansuetudine eius atque etiam maestitia, de amore pueri Iasii fabulatores quidam et physici retulerunt, tamen nec illud sequitur nec hoc ut singularia ac rarissima homo sanus quasi volgaria et omnibus nota adhibeat comparationi. quid quod primum delphinus locum occupavit, inferiorem luctus exemplum communi fama celebratum invenit *ἀλκωνις γοεροῖς δάκρυσι μυρομένα* (Kaibel comment. Bonn. p. 26 s.)? vide etiam *παρ' ἧῶσι* delphinum illum natantem aut vacillantem miserrime. sed quid opus est Byzantini grammatici coniecturam me pluribus reprehendere? nam in eis libris penes quos fides carminis est et auctoritas, non *δελφίν* legitur sed *σε πρὶν* aut *γέ πρὶν*. tu igitur répone *παρ' ἧῶσι μύρατο σειρήν*. haec enim ales est lugubria cantans sepul-

crisque inposita Lethaea vates. de qua ne repetam Euripidis aliorumque testimonia conlecta a mythologis (Schrader de Sirenibus p. 36 ss.), unum commemorabo non dissimilem huic de quo agitur planctum Ioles in Hercule Oetaeo v. 190 sic loquentis *me vel siculis addite saxis ubi fata gemam thessala siren, vel in edonas tollite silvas qualis natum daulias ales solet ismaria flere sub umbra et cetera.*

In eiusdem strophae exitu aves quasi in choros distributae plangere Bionem finguntur atque eas quibus querulum natura guttur dedit aliae quasi coryphaeos incitare ad luctum hoc versu ὄρνιθες λυπεῖσθε γε πενθάδες, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς. quem et γὲ particula et caesurae defectus labem aliquam contraxisse ostendit. verum λυπεῖσθ' αἰ πενθάδες qui scripserunt, artem huius carminis parum videntur perspexisse. dactylici enim in eo numeri ita regnant ut multi versus nullos habeant spondeos, alii dum taxat singulos, nullus tres. nec spondei duo continuantur nisi aut secundo et tertio pedibus intercedente caesura mascula, id quod noviens factum est, aut primo et secundo accedente caesura molliore, quod bis evenit terve (nam v. 121 τοιούτοις χεῖλεσσι ποτέδραμε si scripsit poeta, humiliter scripsit ac parum insigniter, desidero enim ipsius Bionis clarius indicium τοῦτο τεῖος). secutus autem est discipulus magistri praecepta, cum ne in Bioneis quidem tres usquam continuentur spondei, sed duo tantum aut ad hoc exemplum καὶ τὸ ὄδον φεύγει τῷ χεῖλεος, ἀμφὶ δὲ τήνῳ, cuius generis versus septem notavi, aut ad hoc αἰ Νύμφαι κλαίουσιν ὄρειάδες, ἃ δ' Ἀφροδίτα, quales paulo plures versus sunt. quemadmodum vero a disciplina Bionis facilis progressus fuit ad severiores Nonni leges, ita a Callimacho Bionem hac re maxime distare video, quod qua ille plerumque, eadem hic semper moderatione tardiorum pedum usum restrinxit. neque enim in hymnis Callimachi nisi bis leguntur terni spondei continui (II 74 et VI 111), idem raro in principio hexametri duos spondeos copulavit quin caesura trochaica ex illis volubilitatem produceret dactylorum multoque frequentius versum sic instruxit ἀντὶ θεοῦ δύνω κύνε quam sic καὶ μὴν Κυρήνην ἐταρίσσασο, idem rarissime in medio versu continuavit spondeos ad hunc modum οὔτε γιν εἰς ἐράνωσ οὔτε ξυνδέπνια πέμπον. quibus in rebus cum imitatus sit Callimachum Nicander, Theocritum eius rigoris prorsus expertem fuisse patet ex Thyrside, in quo uno sexiens spondeus continentes pedes ternos occupavit. ut redeam ad epicedium Bionis, confirmatur etiam hac observatione quod alio fretus argumento Meinekius coniecerat versui 135 hoc olim fuisse principium ἔσσειται ἃ μολπία, non quod libri

tradidere ἔσσειτ' ἃ μολλά, sequiturque ut perperam mutatum esse iudicemus versum 77. ubi cum Meles fluvius non insulse narretur iam exarescere propter recentem Bionis luctum, quondam post Homeri mortem intumuisse, sententiam homines eruditi fecere hanc πᾶσαν δὲ ἵλῃσαι φωνᾶς ἄλλα nimis, ut opinor, fabulosam atque incredibilem, utique irritam et intestatam, si quidem libri poetae modestius commentum et scitius adsignant πάντα δ' ἐπλησας- ἄγκυα, quod ita ego recipiendum censeo ut φωνᾶς mittatur in Ircum glossematis destinatum. tantum igitur constare puto non correctum esse versum 50 sed in peius mutatum illa coniectura λυπεῖσθ' αἰ πενθάδες, ego codicum vestigiis insistens sic periclitabar si et metrum possem reficere et adiuvare sententiam ὄρνιθες λυπεῖσθ' ἄγε πενθάδες, ἀλλὰ καὶ ἡμέες. composuit enim iam Homerus ἄγε μίμνετε, idem et Pindarus et Theocritus quasi adverbium hortativum postposuere εἴπ' ἄγε et ἐπεχε νῦν σκοπῶ τόξον ἄγε θυμέ. iustum esse dispondeum si protendatur in trochaicam caesuram declaravi, si finalis trochaei syllaba elidatur sumpsit.

Relinquitur mihi dubitatio rectene emendarint v. 55 ἀχῶ δ' ἐν δονάκεσσι τεᾶς ἔν βόσκετ' ἀοιδᾶς an secus, quoniam pasci insolenter dicitur echo cantus in calamis nec libri illam scripturam plane stabilierunt, complexus autem sententiarum magis hanc commendat ἀχεῖν δ' ἐν δονάκεσσι τεᾶς ἔν βούλει' ἀοιδᾶς qua simul cavebitur ne syrinx cuius virtus tota stropha explicatur, quae in antecedente versu non est nominatim sed per verbi flexum indicata spirare flatum Bionis, loco primario ac regimine cedat vocabulo leviori. verum hoc ut est sit ita sane incertum, in sequente tamen versu nego potuisse Graecum scribere Πανὶ φέρω τὸ μέλισμα; cum intellegi vellet syringa. nam μέλισμα est quod modulatur carmen ᾄσμα, non quo modulatur instrumentum, et qui recte posuit infra ἀντὶ δὲ Σαπφῶς εἰς ἐπὶ σέῃ τὸ μέλισμα κινύρεται ἃ Μυτιλάνα Cinyrae filio dicata a Bione et Sapphone carmina respiciens, eundem prave μέλισμα hic fistulam nominasse credant isti qui Dorienses quod μελίξεται et μελικτῶς enuntiarint, dicere etiam μέλιγμα eodem quo μέλισμα significatu potuisse sibi persuasere, ego non credo. itaque quaerenti emendationem mihi in mentem venit τὸ μέλημα, quod cordi illi est, delictum ἀγάπημα. atque syringa Πανὶ μέλημα tam apte vocari quam Orestem μέλημα δάμασιν πατρὸς (Aesch. choeph. 235) vel furta amoris γλυκὴν ἢ μέλημα Κύπριδος (Pindar. fr. 232 Boeckh.), concedet opinor qui amatorem Pana Syringis calamorumque musicorum inventorem meminerit.

Smyrnaeus fluvius versu 74 appellatur cui iam novum funus

lugendum sit, ἀπώλετο πρὸν τοὶ Ὀμηρος. putaris Bionem aequalem fuisse Homero, paucis post illum mensibus annisve mortuum. licet enim Eustathius tanto opere erraverit ut Doribus πρὸν idem esse quod πρὶν Graecis reliquis opinaretur, frequentia bucolicorum exempla docent nec Gregorius ignoravit πρὸν par ac πρῶην esse nec pertinere nisi ad tempus proximum. optime hic poeta v. 71 ut nuper fecisse Bionem Adonidis epitaphium memoraret, πρῶην αἰτ Venerem osculum dedisse morienti. hoc loco ne pessime adhibuisse id arguatur, scribemus ἀπώλετο πρὶν τοὶ Ὀμηρος — νῦν πάλιν ἄλλον νῆα δακρυεῖς. sic Penelope Homeri πρὶν μὲν πόσιν ἐσθλὸν ἀπώλεσα — νῦν αὖ παῖδ' ἀγαπητὸν ἀνηρείψαντο θύελλαι.

Homerus bella lacrimosa cecinit, Bion cum alia tractabat pastoralia tum σύριγγας ἔτευχε καὶ ἀδέα πόρτιν ἀμέλγε v. 86, excusare quidem licet ἀδέα πόρτιν, pariter enim pro ἀδέϊαν masculinam formam imitator Bionis alius (in Theocriteis XX, 8) usurpavit similiaque poetae Callimacho posteriores admiserunt. at πόρτιν ἀμέλγειν paene eiusdem notae est cuius τράγον vel κίνα ἀμέλγειν, similius τοῖς ἀδυνάτοις quae proverbio isto ridebantur quam rei verae ac laudabili. nam etiam si vitulae nomen quo πόρτιν solemus interpretari apud Romanos tam late patet ut eam bucolicus poeta dixerit bis venire ad mulctram, minime tamen efficitur a Graecis πόρτιν vocitatum esse quae iam mulgeatur buculam. accedit quod ipsa pastoria musae Bionae argumenta versu 86 absoluta sunt, iam ubi progreditur oratio ad artificium fistularum amatoriamque disciplinam, moleste in medio refertur vacca quam mulserit quantumlibet suavis. noli dubitare quin obscuratae in archetypo fuerint litterae ac deinde librarii quodam supplemento inficete refectae. quo vitio etiam alios huius carminis versus laborare mihi certum est, velut in v. 93 μύρατο pro eo quod poeta scripserat inlatum est ex versu inferiore, in v. 30 ex superiore ineptum illud ὀδύρεται pro quo dedisse poetam oportet Ἀχὼ δ' ἐν πέτραισιν ἀπόλλυται ὅτα σιωπῇ. sic in v. 86 olim haec fuisse suspicor καὶ ἀδέα πάντα μέλισσῃ indeque vocabulis falso diremptis, fortasse etiam adscriptis glossematis πολλά vel τινά procrevisse portentosum iuvencae mulctum.

Versu 108 ex libris restituendum est ἀπέλειψας, quod quidam mutarunt in ἀπέλιπες, recentiores in ἀπέλειπες fide nulla librorum nec temporis comoda ratione. disseruit de aoristis eiusmodi Lobeckius Phrynichi p. 713 ss.

Dolens poeta plantas perire et renasci, hominibus cum semel occiderint noctem esse unam dormiendam, intempestive fertur scri-

psisse v. 115 εὐδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρονα νήγρετον ὕπνον.
nam εὖ μάλα μακρὸν valde mehercle differt a μάλα μακρὸν aut
εὐμήκη, facit adverbium illud ut καλῶς πάνυ intellegamus, quod
alienum est ab sententia huius strophae et lamentatione quae exor-
ditur eam. corrigendum censeo ἄ μάλα μακρὸν.

Paenultima strophæ venenum ori Bionis incurrisse discipulus
fingit, miratur non dulcuisse in labris, quaerit v. 122 s. τίς δὲ βρο-
τὸς τοσοῦτον ἀνάμερος ἢ κεράσαι τοι ἢ δοῦναι λαλέοντα τὸ φάρμακον;
putida prope diligentia particula geminatur disiunctiva praesertim
cum idem qui miscet venenum dare solet, desideratur autem prae-
teritæ actionis indicium *quis adeo inmansuetus fuit* nec prae-
sentis qualem omisso verbo informamus velut v. 53 τίς Θρασοῦς
οὔτως; *quis tam audax est.* itaque praeopto ἀνάμερος ἦν. tum
sequitur ἢ φόνεον aut ἔκφυγεν ὦδάν, quod alii aliter mutant ut
cum membro superiore conexum per unam interrogationem decur-
reret, ipso hoc ambitu infregisse videntur adfectum qui cernitur
in caesis. verum φόνεον carmina inepte is dicitur qui canenti ve-
nenum paravit, apte dicitur odisse. qua re scribendum propono
ἢ στύγεν ὦδάν; reapse non necatum esse Bionem veneno nec testi-
monio comprobare hunc poetam id mortis genus voluisse cum Her-
mannus brevi adnotatione demonstravit tum omnes sentient si toto
carmine expressum prodigosae visionis studium animadverterint.
quamquam ad huiusmodi suspiciones antiqui siquis inopinata morte
perit pronissimi fuere, ut patet etiam ex titulo graeco Bonnensi,
quem quia nec Welckerus in sylloge epigrammatum n. 101 nec alii
bene tractarunt, hic mihi describere liceat: Θεσσαλονείκη μ[οι] πα-
τρὶς ἔπλετο, οὖν[ομα] Ἀημοί, κάμ' Ἄσιος Β[ατά]λοι' ὕδς φίλτροισι
δάμ[ασσεν] εὐνοῦχος, περ ἐών, [καὶ ἔ]κφυρον ἦν λάχο[ν] αἴσαν' κεῖμαι
δ' ἐνθάδε νῦν τόσσον ἀνευθε π[άτρης]. incisus titulus est a qua-
dratario graeci sermonis ignaro, factus ab homine certe artis inpe-
rito qui fuit fortasse ex legati familia quondam in Macedonia ver-
sati. in versu primo Ἀημοί est Ἀημώ nomen prisco more exara-
tum, in tertio lapis praebet εην sive lapicidae errore sive soloe-
cismo scriptoris, supplementis non singulare argumentum sed tri-
tissimum declarandum censui peractam esse fati sortem, pedis quarti
vitium haud ita multo foedius est quam versus primi hiatus aut
tribus hexametris unus adiectus pentameter. canis supra versus
sculpta fidelem δουλίδα significat, nec vereor nequis etiamnum tan-
tum insaniat ut canem elogio honoratam esse domo Thessalonicen-
sem putet. ceterum μοι post Θεσσαλονείκη, non μὲν legitur in la-
pide aut concluditur potius ex vestigiis. Bionis vero discipulus

cum a communi hominibus mortis necessitate quam antea deplorarat ad ipsum reverteretur Bionis funus, veneni labris infusi mentionem ideo et incohavit et plenius persecutus est ut divinam vocem subito in morte obmutuisse quereretur, non quod serio quemquam veneficii incusaret. parum igitur credibile est eam cogitationem continuatam esse ultra hanc stropham et in eius quae sequitur principio sic finitam ἀλλὰ δίκαι κίχαι πάντας at *iustitia omnes consecuta est* aut quemadmodum maluere interpretari *iustitia sceleratos omnes consequi solet*. accedit quod insequens enuntiatum ἐγὼ δ' ἐπὶ πένθει τῷδε δάκρυα καὶ τὸν ὄντον ὀδύρομαι mutilatum est aperte caretque verbo, quam ob caussam Iunta *δακρυχέων* edidit saniore ille quidem iudicio usus quam qui sententiam, si duas syllabas exceperis, perfectam ac rotundam dissolventes totum intercidisse versum voluere. denique interpolatorum illa scriptura est, non bonorum codicum, qui cum verba non exhibeant nisi haec ἀλλὰ δίκαι κίχαι ἐγὼ δ' ἐπὶ, apparet opinor restituendum esse χέω δ' ἐπὶ πένθει τῷδε δάκρυα, initium autem versus redintegranti viae multae patent ex quibus mihi haec potissimum ineunda videtur ἀλλὰ δίκαι κλαίω σε. potest enim litteratura vetus effecisse ut κλαίω paene totum interiret pone -κα. similiter in versu insiticio 38 codex antiquissimus ποκα υσ, tum αν supra α et εν in fine adscriptum habet, editur a plerisque οὐδὲ τόσον ποκ' ἄυσεν ἐνὶ σκοπέλοιαν ἀηδών, necesse tamen fuit denotari fletum nec ἄυσεν congruit cum μύρατο θρήνησεν κινύρατο καταδύραντο (omittendus enim versus 42 in quo ἄδων traditum est, atque etiam 40 ubi ἴαχεν illa quidem offensione vacat, tamen una cum ceteris expellendum est et instandum fortiter veteris scripturae vestigiis Ἀλκίονα δ' οὐ τόσον ἐπ' αἰγιαλοῖς χέει δάκρυ), fiat igitur ποκα κλαῦσεν.

Quoniam de hoc carmine plura disserui, breviter etiam quid de ordine eius ac dispositione strophica mihi persuaserim significabo adponens numeros. prooemium versus 7. iam primum intercalatum est illud ἄρχετε — Μοῦσαι quod quotienscunque repetitur inter strophae subsequentis versus numero. excipiunt igitur prooemium strophae 14 comprehensae versibus 5 6 6 11 11 7 7 7 10 10 10 5. interpolati sunt versus 38 et 39, v. 41 οὐδὲ γράφεται, v. 42 etiam quod male collocatus est in libris inter duos hos οὐ τόσον ἀφώοισιν - et ἐπιπάμενος - ex margine inrepsisse huc arguitur, v. 46 verissime damnatus ab Hermanno: tot igitur in unam hanc stropham cum emblemata concurrerent, poetae versus unus videtur periisse post v. 40. porro octavae strophae unus versus deest, Hermannus autem quod deesse putavit ante v. 70 id mihi

non probatur, quia ut in Adonidis epitaphio Bion Venerem et Amores arte copulavit illis *vidua Cytherca, cassi Amores vel misera Cytherca, commiserantur Amores*, ita hic aequom est non divelli nomina in libris coniuncta. qui quod praebent versus 70 principium *ἃ Κύπρις φιλέει σε* id quidem nullo modo potest servari. nam primum *φιλέει* sive huius compaginem enuntiati spectas sive stropham universam, utique absurdum est, nec si *σε* pronomen sustuleris substituerisve [*ζητεῖ τὸ σὸν μέλος*] *ἃ Κύπρις φιλέουσα*, absonum vocis tinnitum contrariamque similitudini significationem removebis. deinde *Κύπρις* antispondeus aliquam movet suspicionem. has enim syllabas propter consonantium naturam nec longas nec breves Bion producere solet in arsi, in thesi corripere. velut I 30 *Κύπριδι μὲν* at 31, *τὸν Κύπριν αἰαῖ*, I 56 *ἐγὼ πανάποτος* at 43 *δύσποτμε μῆϊνον*, I 34 *ᾠρεσι δακρύονα* at 98 *ἄλλο δακρῶσαι*, XI 2 *ἐπαιέτο τέχραν* at IV 9 *τάνδε τέχραν*. nec in Bioneis diversa repperi nisi duo exempla, I 39 *τίς οὐκ ἔκλαυσεν ἄν* in quarto pede et 76 *τῆνος τέθνακεν* in altero, illic ut praecedat hic ut insequatur trochaica caesura sectus dactylus. discipulus Bionis hic v. 22 *ἀλλὰ παρὰ Πλουτῆι* at 138 *δυνάμαν παρὰ Πλουτέι*, in thesi idem produxit *ἔκλαυσε* v. 26, *τέθνακε* 7 et 11 et 12, praeterea *πέτραισιν* 30 et *Κύκλιωπι* 61 secundo pede versus aut quarto ante caesuram trochaicam aut post eam, denique tertio pede semel *τῶ σῶ τεθνακότος* 35, similiter ac Bioneus poeta alius Th. XX 19 *ἐπατέ μοι τὸ κρηγνον*. at in prima thesi productum *ἃ Κύπρις* exemplo eorundem nullo comprobatur. scribendum igitur videtur *κλαίουσιν Ἔρωτες*, *ἃ δὲ Κύπρις κλαίει σε πολὺ πλέον* (cf. Bionis I 12 39 57 62 90 93, huius carminis 59 91 al.). intercidit autem versiculus eo loco quo angustiae orationis propositam argumentorum copiam atterunt atque extenuant, ante v. 67. tum inter Sapphon et Theocritum aliquantum verborum intervenisse praeter ea quae extant ratio demonstrat grammatica, quot autem interierint versus ex rerum enarratione non licet efficere, ex stropharum ordine non decernere, cum potuerint quattuor illae his numeris 10 8 8 10 constare tresque versus ad explendam lacunam satis sint, suadet tamen aequabilitas ut tot quot supra notavi versuum strophas statuenti Hermanno adsentiamur. clauditur carmen epilogo versuum 14, nam v. 124 *πρόσσμα* esse et incentivum sequentium, non *ἐγύμνιον* prioribus succentum etiam inde colligo quod pergit poeta *ἄρχετε* clamare nec quo modo in Daphnide Theocritus aut Bion in Adonide desinendum luctum putavit.

Memorable hoc ego inprimis carmen existimo propterea quod

ab Italo aliquo conditum graece brevi tempore antecedit eis per quae latina lingua exprimere Theocriteam musam coeperunt. verum de eo tempore ut paulo accuratius agam cogit me error per exemplaria bucolicorum graecorum omnia propagatus quem tandem aliquando necesse est extirpari. altero enim Bion loco habetur, Moschus tertio prorsus immerito. Suidas in Theocrito τρεῖς γεγόνασι βουκολικῶν ἐπῶν ποιηταί, Θεόκριτος οὐτίσι, Μόσχος Σικελιώτης καὶ Βίων ὁ Σμυρναῖος, idem in Moscho οὐτός ἐστιν ὁ δεύτερος ποιητὴς μετὰ Θεόκριτον τὸν τῶν βουκολικῶν δραμάτων ποιητὴν, scholia Moscheae eclogae in AP. IX 440 πρῶτος Θεόκριτος, δεύτερος αὐτὸς ὁ Μόσχος, τρίτος Βίων ὁ Σμυρναῖος, eumque ordinem ab Artemidoro vel Theone, certe a grammaticis veteribus datum confirmat Servius in praefatione eclogarum Vergili consilium poetae hoc esse narrans *ut imitetur Theocritum Syracusanum meliorem Moscho et ceteris qui bucolica scripserunt.* et hic quidem τὴν δευτέραν τάξιν ad virtutem potius quam ad aetatem referri voluit, verum tamen cum in numerum redigerent poetas, tantum temporum observatio valuit antiquitas tamque indubitatum habuit momentum, ut nisi certum contra proferatur testimonium, nemo non possit Moschum secundum Bionemque tertium credere etiam vitae annorumque serie. nec quisquam posteriorem Bione Moschum facere in animum umquam induxisset, nisi Mekerchus aut Stephanus epitaphio illi Bionis inscripsisset Moschi nomen coniectura infelicissima. nam in libris nomen scriptoris aut nullum legitur aut Theocriti, in uno Vindobonensi qui auctoritate vix superat Bonnensem nostrum non pridem scriptum *Μόσχον Θεοκρίτον* (super addita deinde ἧ est) quem titulum qui fecit Graeculus, potest recordatus esse quod in vita Theocriti traditur *Μόσχος καλούμενος Θεόκριτος ἕστερον ὀνομάσθη* et stultum commentum et recens adglutinatum. fides igitur eis qui Bionis discipulum Moschum fingunt nulla adfertur, aliqua si dis placet Schlegelio Theocritum a magistri arte Bionis degenerasse halucinato. ordine enim vero bucolici inter se exceperunt hoc, Theocritus Moschus item Siculus Bion nationis Asiaticae. quorum a primo alter plus centum annis distat, etsi enim scholiasta AP. IX 440 Moschi tempus ignoravit, Aristarchi γνώριμον eum fuisse grammaticum Suidas acceperat. iam esto ut proxime tertius poeta ab altero afuerit, quoniam inferior omnino fuit Aristarcho, revocandus est ad extremam secundi saeculi partem cum regnum Attalorum finitum Asiaeque provincia Romanorum constituta est (anno urbis 621 ante Christum 133). atque cum Smyrnaei poetae ex epitaphio rectius diuturna quam brevis vita concludatur, mortem eius qui planxit

discipuli Ausonii aetas ut minime prolatetur, eisdem quibus Sullae vita finibus terminabitur. aequalem hunc fuisse et popularem opinor Blaesi Capreatae qui Dorica item dialecto *φλύακας* scripsit vel Samnitum illorum quos index Herculaneensis si bene memini Panaetii inter discipulos refert latino alterum, alterum graeco nomine.

II

In *παιδικῶς Αἰολικῶς* Theocriti nuper repertis statim a primo versu haec leguntur, adscivi autem necessarias emendationes ab aliis prolatas: *τετορταῖος ἔχει παῖδος ἔρωσ μῆνά με δεύτερον κάλω μὲν μετρίως ἀλλ' ὅποσον τῷ παιδί περιέχει τᾶς γᾶς, τοῦτο χάρις· ταῖς δὲ παραναίαις γλνκὺ μειδίαι.* apparet ex *μὲν* et *ἀλλὰ* particulis contrario modo puerum a Theocrito laudari atque a Catullo Lesbiam 'quae cum pulcherrima tota est tum omnibus una omnes surripuit Veneres', immo enim pulcher ille est mediocriter sed — ut e vestigio ponam quod et terrae commemoratio et oppositio voltus ponendum esse indicat — incessu decoro et dulci risu insignis. ac primum ipse versus eo ducit ut legamus *ὅποσον-περρέχει τᾶς γᾶς quantum puer supereminet terram hoc est gratia*, nam *περρέχειν* ex Hesychio didicimus esse *ὑπερέχειν*. tum leni manu, quali carmina haec attrectari par est, tollemus quod restat ulcus *τῷ παιδί* atque cum eo loco opus sit vocabulum dactylicae mensurae, corporis partem significans a generis diversam, accommodatum extanti supra terram homini, quid aliud quam *τῷ ποδί* restituemus? neve quis in singulari numero offendat, Alexandrini eo Romanique poetae lubenter utebantur maxime ad motus ac saltationis speciem, potestque etiam argutior haec caussa adferri quod avertitur ita animus a cogitatione et rustici omni ut aiunt pede stantis et mollioris eius *ὅς χαριτων μὲν ὄξει καλλαβίδας δὲ βάλνει* ut Eupolis iocatus est. *παῖδα πέδα πόδα πολλά* consentaneum est frequenter permutari in libris vetustis: in Bionis Adonidē v. 24 *πόδα* codex optimus Vaticanus, *παῖδα* reliqui, verum est *πολλά*. ibidem v. 18 *περὶ παῖδα* codices, editur *περιπολλά*, fuisse ego puto *περὶ πόδα* in archetypo, scriptum a poeta *πὰρ ποσσὶ* (cf. Theocriti locum quem Bion imitatur I 74 eumque quo *πὰρ* quidem item depravatam est in *περὶ* VII 144).

Monstrorsa leguntur in codice v. 18 *τῷ μὲν γὰρ βίος ἔρησι ρωϊσαγόνοις ἐλάφω θοαῖς, χαλάσει δ' ἑτέρα ποντοπόρην αἴριον ἄρμενα*, sic enim v. 19 et Ahrens correctum edidit et ego corrigent-

dum esse Hauptio dixeram anno 1866 vel 67. prior versus aperte alio genere τὸν ἐλαφρὸν βίον pueri designat per comparationem ἐλάφου ταχείης, velocitas autem cursus et mutabilitas quemadmodum naviganti in velis ita cervae consistit in genibus tralaticioque more etiam iuvenes agiles denotantur per λαιψηρὰ γόῦνα, γονάτων ἐλαφρὸν ὄρμάν, γόνυ χλωρόν sim. neque igitur dubito corrupti versus clausulam hoc modo pronuntiare ἴσα γόννοις ἐλάφω θοῶς. nam γόννα solitos esse Aeolis vocare τὰ γόννατα etsi in Alcaeo γόνα legimus cum analogia evincitur tum testimonio constat Stephani Byzantii Gonnos Perraebiae oppidum ad hanc originem referentis, recteque inde casu tertio qui γόννασι γόννασι Graecis ceteris audit declinatum est γόννοις praesertim cum similiter adfecta vocabula Aeolis tanquam exeuntia in vocales flectere consuerint (ἔρω pro ἔρωτι aliaque ab Ahrente dial. Aeol. p. 120 et 236 congesta). vides autem traditas litteras me omnes tenuisse, duplicasse tantum ν, geminas enim consonantes aliquotiens librarius eodem operae compendio recusavit, v. 12 ἔσεται, 25 ἕας, 27 ὄπποσάκιν, fortasse etiam 7 ubi expeditius λέπτ' ἄμμι videtur quam λεπτόν με. restat ut spondeum quaeramus qui interfuerit inter βίος et ἴσα, verbo opus est aut adiectivo participiove, verbi tamen tempus non admittitur ab sententia nisi praesens aut praesentis vicarium perfectum, a metro nisi perfectum. eo igitur confugi ut perfectum ponerem carens quidem exemplo sed quod Aeolibus in usu fuisse quo iure negaveris in tanta documentorum penuria? βίος ἔρωτι ἴσα γόννοις *vita cita est, ruit.* notum est Homericum illud γόννατα δ' ἐρρώσαντο ψ 3, satis frequens praeter aoristum imperfectum ῥώνοντο ἐρρώοντο, unus nunc Callimachus hunc praebet modum ῥώσονται. significantur eo verbo res hominesque concitati proruentes saltantes, multasque quae ad illud pertinent glossas Hesychius refert: ῥώσθαι σπεύδειν, ῥώεται σπονδάξει, ῥῶμα ὄρμημα, ῥώνοντο ὄρμην ἐλάμβανον, ῥώσασθαι ἐπείγασθαι, ῥῶσθαι σπονδάξειν, ῥωστικὸν ὄρμητικόν, ῥωστήριον φρενῶν κίνημα καὶ παρορμητικόν nisi extremum hoc ad ῥῶσαι roborare revocandum est quia sic explicatur ῥῶσαι γὰρ τὸ εἰς ἀλκὴν παρορμηῆσαι. librarius cum non intellexeret verbum distractum fortasse in syllabas, incidisse in ἔρωπε videtur notionemque intulit minime idoneam.

Proximus versus a plerisque hanc in formam redactus est οὐδ' αὐτῷ γλυκερᾶς ἄνθεμον ἄβυς πεδ' ὑμυλίκων μένει quam cum inferioribus ego non puto convenire. secuntur enim continuo haec illi autem desiderium etiam interiorem edit medullam (sic Catullus 35, 15 unde inutile esse κατεσθίει simul perspicies) *reminiscenter multaque videt noctu insomnia.* at ille quisnam est? an coargui

vis qui interpretantur *huius desiderium tuam edit medullam, desiderium tuum videt somnia?* evidenter vero quod τῷ μὲν v. 18 est τῷ ξρωμένῳ, τῷ δὲ v. 21 ad τὸν ξρωῖντα spectat qui idem memoria pueri cruciari dicitur et somniis diem noctemque. ac forma verbi ipsa illa *ξρη* prohibemur ne σοὶ δὲ substituentes poetam corculo suo tam rigidam osseamque personam induisse credamus. ergo nec Theocritus nec puer intellegitur sed alius quilubet amator, isque fuerit oportet notatus in versu superiore singulariter, nam in univsum τῶν δηγλικῶν genus non quadrat de quo agimus pronomen. repono igitur οὐδ' αὐτῷ γλυκερᾶς ἀνθεμον ἄβας πεδ' ἰμάλικος μένει τῷ δ' ὁ πόθος — *nec cum ipso aequali*, nedum tecum qui senex es, *dulcis flos iuventutis manet*, illi autem *cupido* fert dolores. quid quod ea quam codex habet scriptura πεδιμαλικῶ παene tota conservari potest si Aeolis ut φύλακον (Th. XXIX 38) ita ἰμάλικον enuntiasse genitivumque fecisse ἰμαλικῶ ponimus? ἀνθεμον ἤβης licet haec paulo parcius dicta sint verecundiae caussa, tota oratio pueri esse ostendit florem aetatis quem ne cum aequali quidem eodem semper communicet sed alii alias carpendum permittat prius venere priorem quemque amicum et cruciatibus tradens. πεδ' ἰμαλικῶ μένει fere idem est quod in prosa μετέχοντα τῷ δηγλικῶ μένει aut ὥστε μετέχειν.

Bellam sententiam v. 26 οὗτος δοκίμοι τοῖς ἐπερ ἀμμιέων εὐρεῖν βραιδίως ἀστέρας ὀπποσάκιν ἐννεῦ deformavere sine dubio qui μετρεῖν intulerunt. hoc enim recepto verbo supervacaneum prorsus existit quod consummat periodum membrum quia ἀριθμεῖν τοὺς ἀστέρας sufficit poetamque dedecet exaggeratio molesta ἀριθμεῖν ὀπόσοι εἰσίν. hoc vel Eugenianus senserat ad cuius imitationem provocant, nihil enim adiecit his καὶ τοὺς ἐφ' ἕνους ἐκμετρήσειν ἀστέρας sententiam reddens Theocriti, non verba, nisi forte δοκεῖ μοι aequae atque in nostro codice depravatam invenisse putabitur. contra εὐρεῖν pulchrum est ac luculentum, artis ac sollertiae proprium verbum (εὐρεῖν οὐ θάδιον et nobile illud εὐρημα), usitatisimum mathematicis et astrologis (Cleomedem evolventi statim occurrunt talia τὸ ἕδωρ εὐρίσκειται κνάθους ἔχον ψν', ὁ μέγιστος κύκλος τῆς γῆς εὐρίσκειται μυριάδων τεσσάρων καὶ εἴκοσιν, εὐρίσκομένον τοῦ ἡλιακοῦ κύκλου σταδίων μυριάδων τριζυμρίων καὶ ἐννεακισχιλίων). neve inconcinnum parumque accommodatum ei quod antecedit νικάσειν tempus verbi causeris, εὐρεῖν θάδιως composita poetae tantundem valent quantum εὐρεῖν ἂν vel εὐρήσειν. novenarium numerum qui per multiplicationem augetur ad infinitum poeta ideo elegisse statuendus est quod inter principales ille maximus est et extremus, πᾶσι

γὰρ διὰ στόματός ἐστι καὶ πᾶσιν ἑμνούμενος ὁ τῆς ἐννεάδος ἀριθμὸς ὡς περισσάκις περισσός, ut taceam quae de eius numeri virtute Plutarchus quaest. sympos. IX 14, 2 praeter haec aliique praedicaverunt licet utilia ad Musarum numina tamen ad carmina enarranda omnino inania. *δσάκιν* formam quae ludificata est librarium, nos propter ipsum hoc antiquitatis indicium tenebimus Lesbiosque pro *δσάκι δσάκις* adhibuisse colligemus, quidquid de origine terminationis opinantur, vicibus eisdem varia per dialectos vocabula agitata adsumptamque ab Aeolibus *ν* etiam in *λεγόμεθα* reputantes: comparativus modo *δίς* sonabat modo *πρίν*.

Insequens versus qui amatorem porrecta cervice iugum ferentem facit, hortatur ut mendum eximam Sibyllae de ludis saecularibus oraculo (Phlegontis p. 204 Westerm.) cuius ultimi versus hi feruntur καὶ σοι πᾶσα χθρῶν Ἰταλῆ καὶ πᾶσα Λατίνων αἰὲν ἰπὸ σκήπτροισιν ἐπανχένιον ζυγὸν ἔξει. verum enim ζυγὸν θείης τις ἂν ἐπ' αὐχένος, ἰπὸ ζυγῷ δ' αὐχένα ἔχοι, scribendum ἐπανχένιον. tum v. 30 mireris etiam illos qui ad severitatem Aeolicae dialecti exigenda cuncta censuerunt, quibus ego certis codicis vestigiis adducor ut concedam et ubique *ψιλῆν* et *βαρεῖαν* reponi velim, eosdem tamen *βούλεται* non correxisse in *βόλλεται*. atque hoc omnes vel ex titulis norunt Aeolicum esse, novam autem eiusdem generis formam Aeolibus codex vindicat Theocriti Ambrosianus XXIX 29 pro *ἐπωμαδίας* exhibens *ἐπομμασίας*, ut ut paenultima syllaba constitueret, in altera certe non minus quam in ultima sequendus. *ᾄμον* nempe quoniam constat factum esse ex *ἀμέσω ὄμο-*, analogia probat Aeolibus fuisse *ᾄμμον* ut qui pari lege *ἐνέμματο μῆννος* al. derivarint ex *ἐνεμο- μνησ-*, licetque suspicari hanc vetustissimi vocabuli commutationem aliquid attulisse momenti ut posterius natum *ὄμμα* in *ὄππα* mallent vel *ᾄμμα* quam in *ᾄμμα* transformare. denique infimus carminis versus emendationem adhuc expectat cui palma possit deferri: tantum ego perspicio exiguam auram non fuisse poetam memoraturum, nisi obrui eam voluisset Amoris turbine procelloso. viderint igitur an *μέλλων* depravatum sit ex *ἀελλῶν* pauloque propius ad verum exitus versus hic accedat *πεδ' ἀέλλαν ἀίκως φέρη*.

Scholia huius carminis nulla sunt, cum priori XXIX adscripta quaedam habeat Ambrosianus liber alius. et summarium quidem cum in aliis libris tum in hoc praepositum aliquid traxisse ex veterum copiis videtur, certe commode admonemur pentametri Sapphici et proverbii vulgaris *οἶνος καὶ ἀλήθεια*. reliqua scholia quod utile nihil adferunt duosque locos perversissima interpretatione temptarunt, longe abesse puto etiam a Munatiis et Eratosthenibus.

ceterum prima hoc ordine et modo edenda fuere: 13 *δπη μῆδέν]*
ἀντὶ τοῦ ἕνα βέβαιον κτῆσαι φίλον καὶ μὴ ἀπατῶντα. 17 *οἷον πρὸ*
χρόνου σοι ἐγνωσμένον. lemmata particulasque scholiorum fre-
 quenter suo loco depulsa in alienum esse quis nescit? sic ad XII 26
ἐπίμετρον in Ambrosiano haec adnotata sunt *οἱ δὲ μεταφορικῶς*
ἀπὸ τῶν ἀλεύρων· ναυτικοὶ γὰρ εἰσι, in hanc nuper sententiam si
 Coalemo placet emendata *ναυτικὸν γὰρ ἔσται.* nimirum pertinent tria
 verba ad sequentem versum *ἀριστεύοντες ἐρετριοῖς* paria his *μαρτυρεῖ*
δὲ αὐτοῖς Σμωνίδης ναυικήν.

III

Ionicum carmen suavissimum XII aliquot etiamnum naevis
 maculatum est, quos quomodo tollendos censeam ius mihi dabitur
 expromendi post novem istud et quod excurrit annorum spatium
 quo publicum interpretis officium me coegit tot tamque deliras
 aliorum quorundam hominum de his carminibus opinationes et per-
 noscere et enarrare. Nunquamne reponam vexatus totiens? laudes
 amicorum v. 12 sic incohantur *δίω δὴ πινε τώδε μετὰ προτέροισι*
γενέσθην φῶθ', *ὁ μὲν εἰςπνηλος, φράση γ' ὠμνκλαιιάζων, τὸν δ' ἕτερον*
πάλιν ὡς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι αἴτην. nam Ionicis haec etiam no-
 mina formis exprimenda sunt, si quidem non ut litterarum elemen-
 tariam rationem cum grammatistis putet poeta Amyclaeos Thessa-
 losque adsimulat sed ut notiones earum gentium proprias implici-
 tasque notionibus amicitiae species animo legentis cuiusque imprimat.
 quam ob rem cum Ionicam carmen pronuntiationem postulet,
εἰςπνήλου nomen Laconicae aptare velle nihilo minus falsum est quam
 si XVIII 48 *Ἐλέναρ* finxeris quod fuit profecto qui comminisceretur
 vel XXVIII 26 quod loquens Mileti aliquis inducitur *τιμητά.* item
αἴτην scribi necesse est, quam formam cum intactam reliquerint in
 ipso carminis titulo urgente testatissimae rei necessitate, Doricam
 tamen ubicunque poterant Byzantini tanto studio substituerunt ut
 etiam titulum illum *αἴτης* hoc inlustrarent additamento *ὁ λόγος*
πρὸς ἐρώμενον ὄθεν καὶ τὸ ἐπίγραμμα αἴτας. neque ad versum 14
 quidquam attinet Hesychii glossa *αἴταν ἕτερον* in ordinem iustam-
 que speciem redacta emendatione manifesta hac *αἴταν· ἑταῖρον,* sed
 ad lyrica vetera spectat pleniorque refertur in *συναγωγῇ λέξεων*
χρησίμων p. 35, 9 editionis Bachmannianae *αἴταν· τὸν ἑταῖρον*
 (rursus *ἕτερον* codex), *Ἀριστοφάνης δὲ τὸν ἐρώμενον,* ubi comicum
 dici Aristophanem volgo statuunt, ego grammaticum. multo autem
 graviore vitio versus ille *τὸν δ' ἕτερον-* inquinatus est. quem qui

defensitant mixtas duas constructiones lateque patentem attractionis usum crepantes, vereor ne parum considerarint qua lege mixtura ac licentia illa cum in graeco tum in omni sermone restringatur. etenim incipere orationem more usitato rectoque ordine *ἔδοξάτην δῶ γυναιῖκε*, deinde interiectis non nullis confundere structuras et continuare *τούτω σιάσιν τιν' ὡς ἐγὼ ἴδοκουν ὄραν, τέλειεν ἐν ἀλλήλαισιν*, hoc licet non sit elegantiae ac virtutis, non obest tamen quo verba minus intellegamus et ob loquendi quandam profluentiam facile ignoscitur. at incipere oblique ac diverse (*ὁ μὲν-τὸν δέ*) et quasi resorpto spiritu abrumpere ut inexpectato exordio exordium novum superingeratur (*ὡς ἂν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι*), id non artis est, non simplicitatis negligentiaeve gratae, sed foedae stultaeque titubantiae. vere igitur Graefius cuius ego iudicium permagni facio quamquam in detegendis eum quam in curandis ulceribus feliciorum cognovi, epistolae criticae p. 48 hunc versum esse iudicavit corruptum. expellenda autem sunt *πάλιν ὡς*, hoc pravum, illud supervacaneum et quod statim repetitur v. 16 iniucundum. mihi poeta dedisse *πάντως* videtur indicans id quod ita fuisse ex litterarum reliquiis percipitur inlustrius hoc quam illud nomen celebriusque esse: *divini duo hi viri fuere, alter inspirator, ita dixerit qui Amyclaeos imitatur, alterum sine dubio Thessalus appellavit auscultatorem.*

Versu 23 *ἐγὼ δὲ σὲ τὸν καλὸν αἰνέων ψεύδεα ῥινὸς ὑπερθεν ἀραιῶς οὐκ ἀναφύσω* tangitur superstitio accepta etiam nostratibus qua mendacii nota in fronte cerni creditur. frontem enim significari ac non nares imas vel *ὑπερθεν* demonstrat vel Homericam locutio *ἤλασεν προσόντα μέτωπον ῥινὸς ὑπὲρ πυμάτης*. iam vero *ἀραιῶς* neque Iadi congruit, quae res sane levissimi in hoc carmine momenti est quod circa XII saeculum in Dorida paene totum transposuere transpositumque Eustathius invenit, non invenit adhibuitve Theodorus Hyrtacenus, et cum nasi epitheton quaecunque nisi posituram capitisque locum definiat in hac verborum complexione ineptum sit, tum *ἀραιῶς* modum excedit omnem inficetiarum. an Philetæ discipulum ex glossarum cupiditate caligantem opinaris in id ruisse discrimen utrum *βλαπτικόν* nasum diceret an *ἀσθενῆ* an *μὴ παχύν*, denique vocabulum iactasse obscurum ipsi? nam quod cottidiano usu *ἀραιόν* vocitabant, spongiosum fistulosum rimosum rarescens, id in pulmōnes quidem egregie quadrat, in narium autem cartilaginem ut quod minime. viam emendationis mihi Nicander monstravit theriacon v. 240 componens *φλύκταιναι ἀραιαί*, ut scholiasta interpretatur *ἀσθενεῖς καὶ κεναί*. eodem modo Theo-

critus — certum hoc habeto — pustulas mendacii testes dixerat *ἀραιάς*, eamque scripturam et Vaticanus codex tradidit et scholiasta enarravit *φύσσαι λεπταὶ αἱ λεγόμεναι Ἴονθοι*. sequitur ut non scriptum a Theocrito *ψεύδεα* existimemus, etsi tolerabilis per se videatur audax ista translatio *ψεύδεα ὑπὲρ ξινὸς φῦσαι*, sed inlatum ab aliquo interprete. nec legisse in versu veteres *ψεύδεα* inde efficitur quod quo loco hoc ipsum commemorare debuerunt, plane aliud vocabulum significatu inaudito apparet, *εἰώθασι γὰρ ἔνοι τὰ ἐπάνω τῆς ξινὸς φνύμενα ψυδράκια καλεῖν ψεύσματα*. immo nemo hoc illis nomen indidit, sed praeter ea quae ante tetigi *φλυζάκια ὀλοφυγγόνας ὀλοφυλλκιάδας ἐλκύδρια* appellarunt, Theocritus vero hoc loco nec *ψεύδεα* nec *ψεύσματα* sed feminini generis vocabulum protulerat. quod si carmen solum respicis, putes tam sententiae quam metro sufficere *φύσσαις ξινὸς ὑπερθεν ἀραιάς*. scholiorum tamen commenta nescio an reconditoris spem vocabuli portendant, antiquissimum enim eorum et a vero proximum utpote quod non habeat etiam veteratoris ista *ψεύσματα*, in Ambrosiano codice (p. 77 apographi Ziegleriani) his verbis continetur: *τοὺς ἐπὶ τῆς ξινὸς φνυμένους Ἴονθους Σικελιώται ψεύστας ἔλεγον τοὺς ψεύστας διελέγχοντας, τούτους δὲ φέσθαι τοῖς φιλοψεύσταις τῶν ἀνθρώπων*. in quibus cum *ψεύστας* ubi primum conlocatum est ibi erroris suspitione maxime vacet, dubito equidem an tantum accentus mutandus sit Theocritoque ac Siculis asserendum *ψευστίας* nomen notae ex mendacio progenitae quasi rei ementitae, novum illud quidem sed rite factum tanquam *βλαστή λεγὴ εἰρκτὴ πηκτὴ* al.

Hoc exemplo si minus persuasero, fortasse alio vincam Theocritea cum quadam probitatis aemulatione esse interpolata. extremo enim carmine illa qua tanquam ad obrussam aurum exigebant cotricula commemoratur, *χρυσὸν ὁποῖη πέθονται μὴ φαῦλος ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί: φαῦλος* codex primarius, ceteri *φαῦλον*. perversa dexteritate Wordsworthus *μὴ φαῦλον ἔχη τύπον*, quasi signum auri mensarius curet examinans sitne aurum quod videtur necne. *πέθοντ' εἰ μὴ φαῦλος* Graefius structuram sublevans inconditam, futtilem augens molem. *μὴ φαῦλοι ἐτήτυμον* alius, alius *μὴ φαῦλον ἐτήτυμοι*: haec qui non odit, amet tua carmina Mevi. unus certe non prorsus balbutire poetam fecit Hartungius *πέθονται φαῦλον καὶ ἐτήτυμον*. quid rei sit, potuere dudum intellegere si vim verborum diligentius attendissent, nam *φαῦλος* si malum significat vilis vox est, dedecoratque orationem elatiorem, contra *πέθεσθαι* qui ait *λίθω χρυσὸν* omnem dictionis perdidit sanitatem. abici igitur oportet *μὴ φαῦλος* vel *φαῦλον* quod supra *ἐτήτυμον* scriptum fuerit glossema,

adici autem eius actionis verbum per quam quis a lapide possit certior fieri. dignus Theocrito exitus hic est χρυσὸν ὀποίη πεύθονται τριβόντες ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί, id enim proprium est τῆς βασιάνου verbum ut vel Theognidea 417. 450. 1105 vel Harpocration Hesychius Suidas in βάσιανος et βασανίτης ostendunt.

III

In Helenae epithalamio XVIII v. 3 recens pictus, non recens exstructus thalamus Theocrito placuit quod suae aetatis mores conciliare cum heroica quam contrarios reddere maluit ornamentaque praedicaturo nihil poetae Alexandrino magis in promptu erat quam pictura. Menander rhetor in epithalamio p. 271 W. 404 Sp. lecti genialis laudi adiunxit θάλαμος δὲ πεποικίλται ἀνθεοὶ καὶ γραφαῖς παντοίαις.

A fescenninis ad seria sic transitur v. 16 s.: *beatè sponse, bonus aliquis sternuit tibi adprobationem incipienti idem quod ceteri proceres enitebantur, tu ut perficeres.* graeca verba in quibus multa multi lusimus nondum ego certa exploravi, videntur autem talia fuisse ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἀρχομένῳ τοι, ᾧ πειραῖντό περ ἄλλοι ἀριστέες, ὡς ἀνύσαιο. certe insidet vitium in Spartae nomine, non solum quod a communi fama qua Amyclas proci Helenae convenisse ad Tyndareum narrabantur Theocritus cur discesserit caussa nulla apparet, sed etiam cum Spartae hymenaeus hic cantetur quod par fuit commutari aut ἐξ Σπάρταν cum adverbio pronominali aut ἔρχεσθαι cum eo verbo quod complexu suo contineret etiam adventum. neque vero sententiae quidquam deest cuius supplendi causa lacunam statui oporteat, neque ἐπέπταρεν ullo modo debuit attraheri, nam interpretamenta Byzantina quod habent ἀγαθός σοι ἐφάνη οἰωνός, nihil aliud significant quam *bonum accepisti omen*, atque sternutamento ζῆνος et οἰωνός quam valde convenient Xenophontis dicto docemur τοῦτο λέγοντος πιάρνυαί τις καὶ Ξενοφῶν εἶπεν, οἰωνός τοῦ Διὸς τοῦ σωτήρος ἐφάνη (anab. III 2, 9) vel Aristophaneo πιαρόν τ' ὄρνιθα καλεῖτε (avianum 720). sed misso hoc versu inspiciamus sequentem μούνος ἐν ἡμιθέοις Κρονίδαν Δία πενθερὸν ἔξει, ita enim correxere quod in libris est ἡμιθέοις hyperdoricum. oblitusne est Siculus γάμον Ἥβας, an inter semideos numerari voluit quidem alibi, hic autem noluit istum qui ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην παῖδα Διὸς μεγάλιοι? non opus autem est fabulas alias conquiri et excuti quo μούνος ἐν ἡμιθέοις ipsum per se falsum esse demonstramus, quoniam satis erit monuisse semideorum mentionem discrepare omnino cum consilio poetae statuque carminis universo. cuius κεφάλ-

λαιον γενικώτατον hoc est ut Helenae Menelaoque principes quae tum fuere virgines hymenaeum canant hominibus aequalibus sodalibus, non heroibus divisve quales existunt vita functi. puella Dorica nova nupta Helena describitur, maritus Menelaus fortis ac felix, ridetur tanquam bene potus ac somniculosus, laudatur tanquam optumas, ἐν ἡμιθέοις tantum abest ut conlocetur ab ipsis his virginibus ut nullo numero apud posteros eum fore persentiscatur nisi immortalitatem adeptus esset Helenae nuptiis (Dionysii artis II 5). praeterea quoniam unicam mariti sortem hoc versu efferre puellae voluerunt, si unicam inter divos appellant nec plures in comparationem vocant, laudes eius artiore praecingunt circulo et deminuunt magis quam amplificant. quanto melius Euripides in Phaethontis hymenaeo (papyri p. 2, 28) θεὰν κηδεύσεις καὶ μόνος ἀθανάτοις γαμβρὸς δι' ἀπειρονα γαῖαν θνατὸς ἐμνήσει. scripsit Theocritus μῦθος ἐν ἡμιθέοις eandem adfectans sententiam quam Himerius expressit in epithalamio I 15 ἔ μὲν ἡμιθέων πρῶτος, ἣ δ' ἐν κόραις προκέκριται. notum autem est ἡμιθέους maxime τοὺς μελλονμφίλους dici et in amoribus componi cum virginibus velut a Musaeo 19 ἡμίθεον φλέξας καὶ παρθένον. confusa in codicibus ἡμίθειοι et ἡίθειοι cum alibi reperiuntur (cf. Callimachea Schneideri I p. 325) tum Theocriti XIII 69.

Versu 25 τῶν οὐδ' ἄν τις ἄμωμος ἐπεὶ χ' Ἑλένα παρρωσθῆ codices, sed et οὐδέ falso positum pro οὐ et ἄν sine verbo intolerabile. τῶν οὐτις Meinekius, sed Dorico carmini fas non est genitivum illum obtrudere. τῶν οὐ Δῶν τις Ahrens nihil quidem mutans, sed ut lenis ac fluens oratio nimio tumore concitetur adfectumque recipiat quia obstestatione res minime eget inportunum et frigidum. alii quae proposuere, his etiam peiora sunt aut adeo vitiosa. mihi cum omnes Lacaenae postputentur prae Helena, minus asperum visum est τῶν οὐτις πανάμωμος, quemadmodum Semonides dixit πάμπαν δ' ἄμωμος οὐτις fr. 4 et Simonides non posse esse πανάμωμον ἄνθρωπον fr. 5, 17 et inter vota γένεϊτο πάντ' ἄμωμος ἣ κούρη Phoenix fr. 1, 10. ortum vitium ex eo arbitrator quod in antiquiore codice adpositum παν supra versum fuerit, tum loco alieno intrusum et immutatum. nobis qui supersunt libri cum ferme non excedant aetatem Petrarchae, talis archetypi species non abhorret a veri similitudine pluresque possunt versus adferri, in quibus modo litterae singulares modo syllabae cum olim super impenderent stolidissime traiectae sint. proferam qui auxilio adhuc indigent et a me aliquod posse videntur accipere. XXI 14 οὐτος τοῖς ἀλλεῦσιν ὁ πᾶς πόρος, οὐτος ὁ πλοῦτος οὐδεὶς δ' οὐ χύθραν εἶχ' οὐ κύνα.

vere Briggsius οὐχὶ θύραν cum vocalis inter θ et ρ posita deerraverit in locum priorem, male autem οὐδὸς δ' scripserunt et a superiore versu hunc segregarunt. non fuit tenuissimae illi piscatorum casulae ullum limen nec liminibus solent aut ianuae foresve aut canes vindicari, sed hi vestibulis aulisve, illae ipsis aedificiis. lego una adiecta unaque expulsa littera ὁ πλ ὕτος οὐ κλειῖδ' οὐχὶ θύραν εἶχ' οὐ κίνα, πάντα περισσὰ ταῦτ' ἐδόκει τ'νοις. nam κλειῖδας claves a veteribus non repagula solum appellari vel per quae quid patefit sed etiam obices vel per quae clauditur non longe secus quam κλειῖθρα claustra notum est ex illis κλής ἐπὶ γλώσση φύλαξ et *odisti claves et grata sigilla pudico*. de dialecto autem utrum κλειῖδ' an κλαῖδ' ipse poeta dederit nunc non quaero quia in archetypo Byzantino certe substituta erat vulgaris forma sic ut in parte librorum Callimachi hym. Cer. 45. eiusdem carminis XXI statim principium intercepta a librariis syllaba debilitavit ἃ πενία Δόφρατε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει, αὐτὰ τῷ μόχθῳ διδάσκαλος. nam et αὐτὰ post μόνα otiosum et articulus valde torpidus quippe ubi adsumeris audire χρεῖω πάντ' ἐδίδαξεν vel ἃ πενή οὐκ ἐθέλοντα βίη κακὰ πολλὰ διδάσκεις, nec satis totum membrum convenit ratiocinationi adnexae quae animi explanat inquietudinem: *nec enim dormire operarios patiuntur sollicitudines et si quis conivit paulisper, somnum subito turbant curae*. poeta paupertatem αὐτομάτῳ μόχθῳ dixerat διδάσκαλον tam arguta sententia quam Diogenes αὐτοδίδακτον ἀρετήν. ludentis in tabula labor πένος αὐτόματος vocatur AP. IX 769, 2. epithalamios qui inscribitur Achillis et Deidamiae ab incerto poeta factus scatet vitiiis nec in emendando eo superiora saecula multum profecere, nostra autem aetas ne tantillum quidem si unum excepero versum 5 perbene restitutum ab Ahrente. loquitur 'veste virum longa dissimulatus' Achilles cum Deidamia v. 27: *reliquae sorores alia cum alia cubant, αὐτὰρ ἐγὼ μούνα μίμνω, σὺ δὲ νύμφα καθεύδεις*. nihili esse μίμνω ac depravatam ex μούνα Lennepius vidit, depravatam consequens fuit ut traiceretur, ergo ordinem hunc faciemus σὺ δὲ μούνα gratum etiam propter accentus in vocabulo repetito varietatem. simulque tollentes quod per se ineptum est, cum praesertim sponsalium memoriam quantulamcunque Achilles devitare debuerit, nec Aeolicae correptionis gratia probatius νύμφα totum versum hac specie adornabimus αὐτὰρ ἐγὼ μούνα, σὺ δὲ μούνα νύκτα καθεύδεις. versibus 11 ss. Graecorum post raptum Helenae coetus et expeditio narratur: οὐδέ τις Ἑλλην-μείνειν ἐὸν κατὰ δῶμα φέρων δυοῖν ἄνὰν ἄρνα. ita fere exemplar id ex quo nostra sunt derivata. in fine Ἄρηα ut certissimum est ita commune Scaligeri

et Bentlei inventum, qui ubi inter se differunt neuter rem loco opportunam inquisivit, melius enim profecto quam enervia ista *αἰνόν* aut *δύστανον Ἄρηα* neglecta litterarum religione inferremus *φέρων Τρώεσσαν Ἄρηα* ex formula Homericā *Τρώσιν ἐφ' ἰπποδάμοισι φέρειν πολύδακρυν Ἄρηα*. verum quem ad finem Achivi se congregarint iam nihil refert quia ex hoc statu digreditur oratio ad latebras Achillis: *iam Pelopis terras Graiumque exhauserat orbem praecipitans in transtra viros, insanus equosque bellipotens* sic statum illum in Achilleide I 441. Staius adumbravit. neque graecum poetam par est credere *ἐν κατὰ δῶμα* memorasse loco urbis vel civitatis praeter rationem, sed ex domo sua quemque voluisse transferri in naves. ego igitur in eis quae tradita accepimus prope nihil innovo, est enim etiam *φέρων* in uno codice adnotatum, sed quae in clausulam mediam invasere *ἀνὰ* litteras in pristinam sedem retrahens haec reddo poetae verba *φέρων δ' ἀνὰ ναυσὶν Ἄρηα* 'totumque instructo Marte videres fervere' pontum. *ἀνὰ ναυσὶν* in eiusdem belli descriptione Euripides posuit Iph. Aul. 754.

Redeo ad Helenae epithalamium. proxima in quibus Madvicus quoque adversariorum I p. 296 vehementer erravit prava rectaque non dignoscens, constituenda sic sunt *ἀλλ' ὡς ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον πότνια Νύξ κατὰ λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος*. Nox enim est *ἡ σωματοειδῆς θεὸς* rerum nocturnarum regina omnium atque etiam lunae potens qualem Theocritus II 166. Romani-que identidem poetae induxere, similis deae Lunae atque etiam bigas ab ea mutuata. pulcrum ac pellucidum Noctis voltum nemo non intellegit ipsam lunam, cui cum non pauci poetae formosas mulieres compararint, iuvat fortasse conferre cum Theocrito Quintum Homericum I 37 ss. qui prorumpentis ex nubibus post tempestatem lunae nitorem, et Statium silv. IV 8, 28 ss. qui tralaticiam Helenae cum hac caeli facie necessitudinem inlustrat. in controversiam ex eis quae perscripsi nihil mihi iam videtur venire nisi *κατὰ* cuius loco codices *ἄτε* praebent, at *ὄτε* qui subesse credunt, Doridis caussa non poterunt quin porro mutent *δικα*.

V

In Gratiis quibus sub bellum Punicum primum Theocritus Hieronem demerebat revocari in patriam cupiens, gloriam a poetis perennem dari potentium vatium exemplis confirmat Simonidis et Homeri. et huius quidem quem in simili caussa Pindarus quoque adhibuit Pyth. III 112, primum propter res bellicas Hieronis memorat Hiada quae Lycios et Troianos duces atque Cypria quae

Cyenum nobilitarant, deinde Odysseam XVI 51: *nec Vlixes diuturnam famam consecutus esset, silentio autem obruti subulcus et bubulcus ipseque Laertes, εἰ μὴ σφας ἄνασαν Ἰάονος ἀνδρὸς ἀοίδαί.* ubi σφας aut σφεας metri caussa correxerunt, libri autem ut est harum laudationum dialectus omnibus modis inquinata partim ἄνησαν partim Doricam illam formam testantur. at totum ego verbum a Theocrito profectum nego. nam ut ὄνασθαι πνος frui aliqua re, ita ἄνησά σε est feci ut fruereris vel laetareris, delectavi iuvi te, valdeque eorum qui idem putant atque ὠφέλησα et profui restringenda est interpretatio, si quidem multos ὠφέλησαμεν nec tamen ὠνήσαμεν ut qui fructum operae nostrae ipsi ἢ non perceperint. itaque optime poeta dicitur ὄνησαι qui carmina eius audiunt, pessime Homerus vel Vlixem vel Eumaeum. contextus etiam orationis aliam efflagitat locutionem non dissimilem versus 44 *εἰ μὴ δεῖνός ἀοιδὸς θῆκ' ὀνομαστός* aut v. 50 *εἰ μὴ ὕμνησαν ἀοιδοί* sed tam Vlixis splendori quam familiae ignobilitati convenientem. itaque una adiecta littera lego *εἰ μὴ σφας φώνησαν.* quod verbum contrarium antecedenti *σιγᾶν* etiam plus quiddam significat sicut in Latinis illud 'sive mendaci lyra voles sonari'. Alexandrini id poetae pro λέγειν vel ὀνομάζειν ponebant quasi sublimius aut vocalius, Euphorio in Mopsopia fr. 27 Mein. Ἀκτῆς δὲ παροίτερα φωνηθείσης iuxta κικλήσκασθαι et ἀδθηθῆναι. pura Doride si Theocritum haec carmina condidisse constaret, mora non esset per libros quin φώνασαν restitueremus Pindari auctoritatem secuti ipsiusque Theocriti II 108. , Ibidem v. 60 inutilis labor notatur ἐπ' ἄνοι κύματ' ἀμιθρεῖν ὄσο' ἔνεμος χέρσονδε μετὰ γλανκᾶς ἀλὸς ὠθεῖ. Wartonius enim emendatio μετρεῖν mutantis in verbum proprium confirmari videtur ab Etymologo Florentino (in Milleri miscellaneis p. 28 οἶον· κύματ' ἀμιθρόν). iure praeterea Meinekius in sequente versu. offensus est vellemque pepercisset infelici et huius loci et Euphorionei interpretationi, nam ne ibi quidem μεθ' ὕδατος valet quod ille fingit *in media aqua* sed *cum aqua vitam exprimit.* una cum mari ventus navem quidem dici potest agitare et natantes et quidquid in mare delatum est extrinsecus, vix potest undas quae ipsum mare conficiunt, sic enim quod agitat idem agitari declaratur. nec leniter fluctuanti mari quale ex caerulo colore adsequimur non repugnare videtur motoria caussa duplex. permutatas equidem solito errore praepositiones existimo ac scribo *κατὰ γλανκᾶς ἀλὸς quot ventus ex alto in litus trudit.* Valerius Flaccus VI 163 *nec tot ab extremo fluctus agit aequore-Boreas.*

Cicada meridianes pastores cavens ἔνδοθι δένδρων ἀχεῖ ἐν

ἀκρεμόνεσσιν, ut libri tradunt v. 95 s. *ὑπόθι δένδρων* qui interpolavit, certe numquam more pastoris quem Theocritus cogitat stratus sub ilice aestiva illa animalia observarat. nam verissime poeta *ἔνδοθι*, male tamen *ἐν ἀκρεμόνεσσι* subiungitur. lege *ἐπ'*: ita scholiasta *ἐπὶ τῶν ὑψηλῶν κλάδων*. Homerus item de cicadis *δενδρῶν ἐφεζόμενοι*, Theocritus VII 138 *ποτὶ σκιαιραῖς ὀροδαμνίσιν*.

Mare Scythicum v. 99 imprudenter quidam temptarunt *Λιβυκοῖο* aut *δυτικοῖο* praestare rati, quasi vero quo victi ab Hierone fugient eo victoris famam ferri opus sit per poetas aut phocis et beluis laudes Hieronis poeta extra Herculis columnas recitari voluerit. de Syracusanis et Carthaginensibus agi qui meminerit, ex orbe terrarum cur non meridiem et occasum Theocritus sed septemtrionem et orientem adsciscere debuerit facile perspiciet. Hieronis gloria ut ultra Pontum et in Babyloniam usque divolgetur hoc erit penes vates.

Versus 106 vetus scriptura haec est *ἄκκλητος μὲν ἐγὼ μένομι κεν*, *ἐς δὲ καλεόντων θαρσήσας-ἰκοίμαν* quam codex Medicus servavit: inde ne numeri claudicaret, *μίμνομι* factum est in Vaticano, in Ambrosiano cum nescio quis *γὲ* particulam interposuisset tenuem illum sed delicatum tibicinem, *ἔγωγε γένομι*. fefelleret haec cum editores tum eum qui Theocritum sic fecit *χαριεντιζόμενον*, opinor ut nudissimas rex conspicaretur Gratias: *κἄκκλητος μὲν ἔγωγε μόλομι κεν*. apertissimam sententiam quibus opus est aperiet scholiasta *ἄκκλητος μὲν ἐγὼ] οὐκ ἂν ἔλθομι, καλούμενος δὲ-πορεύσομαι θαρρῶν*. quamquam ne haec quidem recte edita sunt, quod *ἂν ἀνέλθομι* tum *ἂν ἀπέλθομι* inrepsert in apographa. Theocritus dixerat *ἄκκλητος μὲν ἐγὼ μέλλομι κεν*, transcripsit librarius *μένομι*, persaepe enim eorum verborum vices mutarunt (Soph. Trach. 951 al.).

Operae pretium est etiam hoc quod interpretes fugit proferre, versus 42 *ἄμυναστοι δὲ τὰ πολλὰ καὶ ὄλβια τῆνα λιπόντες-ἔκειντο* maximam partem concinere cum epigrammate quod in Sardanapalli sepulcro incisum narrabatur de quo Naekius in Choerileis fuse exposuit inde a p. 196 et ipse tamen Theocriti oblitus. in eo enim resonat vox tristis *τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κείνα λείπεται* (Anthol. Pal. VII 325 app. Planud. 27), quam Cicero interpretatus est tusc. V 101 *at illa iacent multa et praeclara relicta*. expressum alterum ex altero versum nemo opinor infitiabitur, hoc vero quaeremus utrum Theocritus imitatus epitaphium Sardanapalli quippe quod iam tum pari ac per inferiora saecula memoria vigeret ad principum Thessalorum funera aptarit an epitaphii scriptor ex egregio Theocriti loco suam repetierit sententiam. iam quod prius dixi id

fieri potuisse ut pernegem tanta mihi non est audacia, praesertim cum summam illius epigrammatis ex Phoenicis Colophonii iambis intellegamus ante Theocritum non modo innotuisse Graecis sed etiam a poetis esse tractatam ita ut non praetermitterentur τὰ ἄλβια. at tamen Theocriti illa locutio tam apte arteque cum eis quae circa sunt concinnata est et conclusa, tam prodiit propria alienaeque originis indicio omni carens, id quod vel obliuosa interpretum securitas declarat, ut huic poetae non debeamus eius inventionis laudem eripere, nisi quis epigramma ante eum esse factum argumentis certissimis euerit. in transcurso autem attingam, si Theocritus Sardanapalli epitaphio usus esse credatur, eius modi imitationem ab arte et consilio valde discordare cum illa qua obsequium clarioribus reverentiamque supparet poetae testificabantur loco insigni velut Arato Theocritus ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα et ignoto Neronis amico Calpurnius *quid tacitus Corydon*. sed de epigrammatis sepulcralibus regis Assyrii Naekiana disputatio vehementer vereor ne prudentius quam acrius transegerit cum umbris. sumpsit enim duos ante Aristotelem fuisse versus, eos interpolasse aliis auxisse in novum carmen redegeisse Choerilum Iasensem, vetus exemplar Crateta Thebanum, Chrysippum Choerili carmen lusisse parodiis. at Choerilo versus de quibus agitur quam levi auctoritate tribuantur ne ipse quidem Naekius dissimulat, qui quod etiam Strabonem testem citavit, verba eius ut in libris leguntur prorsus contra faciunt. ubi enim Assyricam inscriptionem graece versam rettulit, cum haec subiciat μέμνηται δὲ καὶ Χοιρίλος τούτων, καὶ δὴ καὶ περιφέρεται τὰ ἔπη ταυτί, multum abest ut Choerilum auctorem faciat carminis, immo plane distinguit commemoratas a Choerilo monumenti litteras et versus pervagatos quos nec Strabo nec quisquam alius quis fecisset compererat. unus Amyntas apud Athenaeum XII p. 529 Chaldaicam inscriptionem μετενεγκεῖν Χοιρίλον narrat ἔμμετρον ποιήσαντα, verum tamen nec poema quod et quale sit nec qui Verres iste adiecit. mitto equidem ficta et fabulosa excutere tanquam vera, arbitrato compilerum vel scribarum immutata tanquam varia veterum poetarum voluntate operaque exorta cogere in ordinem, diffido Ciceroni qui si ipsum illud quod praescripsit in tusculanis carmen videri voluit iam ab Aristotele relatum (cf. de finib. II 106) tam in hac re falsus est quam in aliis multis cum auctorem iactaret alium, alium transcriberet, denique usurpasse Crateta statuo per posteriorum scriptorum licentiam boni possessionem παιγνίου Chrysippi. fide nimirum ac vetustate cetera de carmine testimonia omnia Athenaei in libro octavo narratio superat ex qua haec ad-

ponere iuvat p. 335 τὸν Σαρδαναπάλλου τοῦ Ἀνακνδαράξω βίον ὃν ἀδιανοητότερον εἶναι κατὰ τὴν προσηγορίαν τοῦ πατρὸς Ἀριστοτέλης ἔφη· ἐφ' οὗ τοῦ τάφου ἐπιγεγράφαι φησὶ Χρύσιππος τάδε, sequitur carmen cum duobus eis quos plerique exscripsere versibus, p. 336 κρεῖττον δ' ἂν εἶχε, φησὶν ὁ Χρύσιππος, εἰ μετελήφθη τὰ ἐπὶ τοῦ Σαρδαναπάλλου οὕτως, sequitur parodia ex qua ultimos duos versus paulum variatos Plutarchus et Laertius Cephalasque adsignarunt Crateti. itaque postquam Alexandri historiarum scriptores tumulum Sardanapalli titulumque multis æc disparibus fabulis celebraverunt, exstitit qui mollitiae voluptatisque Epicuriae regium exemplar epigraphio carmine comprehensum proponeret, post Theocritum a quo sumpsit versum quintum τὰ δὲ πολλὰ καὶ ἄλβια χεῖνα λείλειπται, recordatus autem etiam in v. 2 θανάτου τοῦ οὐκ ἄνητος et 7 τὸν ἀπείρονα χρυσὸν Theocriteorum videtur v. 22 s. ὁ μυρσίος χρυσός et οὐχ ἄδε πλοῦτου φρονέουσιν ὄνασις, ante Chrysippum quem recepto in suum librum carmini et ad contrarium usum retexto primum opinor fecisse famam.

VI

Gratias quas firmata aetate ac fama poeta composuit posterius inter Theocritea carmen demonstrari nequit. nam Philadelphi laudationem ut circa annum 255 aut 259 factam credam Droyseno (ephemeridis Bergkianae a. 1843 p. 56 hist. Hellen. II p. 239) aut Haulero (de vita Theocriti p. 17 ss.) tantum abest ut propius accedere ad annum 275 concludam ex eis quae poeta et indicavit et reticuit. duxerat Philadelphus in matrimonium Arsinoen germanam suam sororem, quae cum laudatur v. 130 ἐκ θυμοῦ στέργουσα κασίγνητόν τε πόσιν τε, invitamur ipso verbo ut eam contendam cum ἀστόργῳ γυναικί vituperata v. 43 cuius δηῖδοι γοναί, τέκνα δ' οὐ ποιοικότα πατρί. procul dubio iecit haec laudator opprobria in repudiatam a rege uxorem priorem, Arsinoen Lysimachi quae tres ei liberos pepererat. quos postea quod ipsa fratri sterilis manebat Arsinoe altera quasi suos recepit, tunc autem aulici ac Theocritus quasi spurios aspernabantur. et Hauleri argumentatio omnino infirma ac vacillans vel una hac re corrumpitur, quod sub annum 263 Philadelphus cum Maga Cyrenaeo pacem ita constituit ut Euergetae filio suo Berenice Magae desponderetur spesque Lagidis fieret recuperandi Cyrenas. quare cum legitimus illo tempore Philadelphi filius et heres Euergetes agnosceretur, bellum cum Cyrenaeis et Seleucidis a Philadelpho gestum quod poeta v. 86 s. respicit non est alterum id quod Antiochi Soteris et Magae mor-

tem insecutum est sed prius finitum circa eum quem dixi annum coeptumque haud paulo ante. addo etiam voce illa *ἀποτέμνεται Φοινίκας καὶ Συρίας Λιβύας τε* magis eam expeditionem enuntiarum cum primum arma terris illis Philadelphus intentavit quam bellum iteratum. verum. nec Libyae nec Syriae Phoenicesque nec reliqua terrarum nomina in hac quaestione nos multum adiuvant, de Arabicae enim expeditionis, ut ad belli pericula spectare *ἀποτομήν* etiam hanc largiar, et Aethiopiae temporibus nihil constat, Pamphyliam Ciliciamque ab anno 248 in Antiochi Dei cessione potestatem Niebuhrius probavit, Lyciam Cariam Cyclades et Philadelphus perpetuo tenuit nisi si subita belli clades (anno 266) parumper dicionem eius turbarat et a patre Euergetes hereditarias accepisse se narrat. paulo plus ex silentio effeceris. nam cum magnifice magnitudinem imperii descripturus poeta provincias tam copiose quam in titulo Adulitano ipse rex percenseat, non putabimus casu factum ut Cyprum celeberrimam regni partem Veneri quidem adscriberet v. 36, non tamen numeraret in Ptolemaei opibus. itaque tum non fuit Cyprus in potestate Philadelphi aut veritus est poeta ne odiosum regi eius adferret nomen. atque Pausanias I 7, 1 interfectum esse rettulit a Philadelpho quod Cyprum defectionem pararet fratrem eius ex Eurydice, qui sive Meleager fuit post Ceraunum a Gallis occisum anno 280 per duos menses rex Macedoniae et cum expulsus regno esset Cyprum incola sive alius natus ante annum 316 ut Eurydices filius, non multo post a. 276 sollicitasse insulam videbitur, si non prius certe non postquam Maga duce Cyrenae defecere. nummos autem in Cypro insula cusos regnum Philadelphi testari per annos omnes continuos didici ex Schleddehausi de Lagidarum nummis disputatione inserta Groti commentariis numismaticis II p. 882, qua re Cyprum defectionem utique brevissimam fuisse cognoscitur. iam Arsinoes nuptiae *τῆς φιλαδέλφου* recte a plerisque ad annum fere 276 referuntur. et hoc quidem pro certo accipio ab Hegesandro Delpho (Athenaei XIV p. 620 s.) quamquam vanus fuit et minimae auctoritatis scriptor et a Droyseno, anno 266 Sotadem qui regis et amicam Belisticam et sororem maritam contumeliose laeserat a Patroclo classis praefecto Cauni in Caria captum supplicioque adfectum esse cum Alexandria aufugisset, *εἰρήμει γὰρ εἰς Πτολεμαῖον πολλὰ δεινά, ἀτὰρ καὶ τότε ὅτε τὴν ἀδελφὴν Ἀρσινόην ἐγεγαμήμει* —. verum statim consecutos esse ut adfirmemus infames hos ionicos coniugium incestum, statim consecutam carmen poenae occasionem nequaquam cogimur. inconsultae autem fuit sedulitatis, quod anno 268 meretrix regia ludis Olympiis vicit, inde

efficere tum non uxorem fuisse Philadelpho Arsinoen — quidni contra dicamus Belisticen si etiam tum regem tenuisset non curaturam fuisse Olympia? — aut quod circa annum 266, certe ante a. 264 Mithradates Galataeque cum Aegyptiis pugnarunt in ea Ponti regione, qua dotata Arsinoe nupserat, propterea id ipsum nuptiis definire tempus. nos sequamur magis probabilia. Arsinoe Lysimachi a patre eius qui cecidit anno 281 Philadelphus aliquanto ante in matrimonium acceperat, filios ex ea tres sustulit, tum quod insidiantem sibi deprehenderat relegavit Coptum et suam sororem duxit uxorem. haec Arsinoe Ptolemaei filia post mortem prioris mariti propter regni dotem a Ptolemaeo Cerauno dolis expetita capta pulsa anno 280 Samothraciam abiit, deinde pervenit in Aegyptum. quae cum anno 276 suae aetatis quadragesimum impleverit, eius fratrisque nuptias ab eo termino quem prioris Arsinoes matrimonium ac puerperia constituunt non removebis longius nisi vetulam malueris quam vegetam mulierem a Ptolemaeo ductam arbitrari. sunt igitur inter annum 276 et 266 spatium propiore ab illo quam ab hoc factae nuptiae. extremum restat temporis indicium ἡ Ἀρατεία εἰςβολή. inclaruit autem poetica laude Aratus simul atque in Macedoniam profectus sub Antigoni Philaeque nuptias anno 276 primum regi hymnum in Pana Arcadicum recitavit, quod carmen Theocritus septimo idyllio cum ipse iam Iovis auribus canere sciret (VII 93) nobiliter adprobavit, tum iussu Antigoni Phaenomena conscripsit, id quod intra annos 276 274, non post Pyrrhi interregnum annumque 272 eum peregrisse oratio biographi persuadet III 19. ut breviter omnia complectar, sororis maritus Philadelphus erat, non adoptari ab ea iusserat uxoris prioris liberos, incursiones fecerat in finitimas Cyrenaeis et Syris regiones, de Cypro habebat quod aegre ferret, Aratea mirabatur, cum hoc ei encomion Theocritus dicavit ante a. 263 post a. 276, dimidio ut paciscar, circa a. 270. et quod Cos insula versu 66 ss. sibi foederatisque Dorien-sibus quod Delo Apollo praestabat munus, id est incolumitatem tutamque ab hostibus salutem precatur a rege, praesentire mihi videor eius belli adventum in quo apud ipsos Coos Antigonus et Ptolemaeus dimicarunt.

Disposuit poeta encomion eo ordine et artificio quo rhetores etiam pedestres laudationes progredi voluere. primum enim ac gravissimum caput τὸ ἀπὸ τοῦ γένους est Ptolemaeo Lagi et Berenicae destinatum, cui adhaeret τὸ ἀπὸ τῆς γενέσεως miraculis bonisque ominibus exornatum. altera pars potentiam opulentiam virtutem munificentiam pietatem regis continet. exitus autem ne

deferveat frigatevó, εἶπον τι ἐλάτωμά ἔχει, πειρασόμεθα περιστέλλειν εὐφημοτέροις λόγοις (Menander III p. 481, 20 Sp.), itaque famosas nuptias dum ad lupanaria Sotades detrudit, hic adulationi nefariae obnoxius ut ἱερὸν γάμον celebratas facit virginali castimonia, sive immaculatam conceptionem usurpari mavis. hoc enim sibi volunt versus illi male tractati a plurimis 133 s. ἐν δὲ λέχος στόρνουσι κτλ. in quibus et δμὸν λέχος illud retinendum erat omnino et ἀγνόν sive prognatum ex αἴν (cf. ποιμαιγνίων pro ποιμενίων in versu subiuncto carmini XXVII) sive de industria adfectum damnandum rusticitatis et ἔτι παρθένος expendendum cautius. nempe ut inter renati primordia mundi primum hoc esse nuptiarum exemplum et prorsus unicum percipiamus, innupta adhuc etiam νυμφεῖτρα designatur¹. Iridi id officium non modo a Theocrito datum est sed etiam in pictura Pompeiana quam Helbigius indicis n. 114 recensuit explanavitque in annalibus inst. arch. 1864 p. 276. eandem deam in hymno Philadelphi laudibus referto ita Callimachus depingit ut rariore quadam ac reconditiore religione Alexandrinos esse ductos suspiceris aut studio saltem nominis adsimilis Isidi. ceterum Theocritei poematis exitum universum propter consociatam Θεῶν σωτήρων et ἀδελφῶν memoriam non incommode comparaveris cum aureis nummis qui in altera parte inscriptum habent Θεῶν et capita diademata repraesentant Ptolemaei patris chlamydati et velatae Berenices, in altera ἀδελφῶν et capita diademata Philadelphi chlamydati clipeatique et Arsinoes velatae exhibent (Leake numism. hel-

¹ ἔτι παρθένος non dicitur nisi quae nupsit postea. atque Iridis matrimonium satis frequenter poetae commemorant velut Nonnus ubi dea compellatur Ζεφύρου χρυσοπτέρε νύμφη εὐλοχε μήτερ Ἐρωτος et alibi Ζεφυρηίδι νύμφη μητροὶ Πόθοιο. at ridicule ἔτι κῶροι XV 120 Amores dicuntur ut quos antiquitas non viderit audieritve adultos aut senes. permulta tamen in Adoniazusis perperam et edita sunt et explicata. velut v. 124 αἰετοὶ οἰνοχόουσι Διὶ παῖδα φέροντες quibus poeta verbis breviter comprehendit Ganymedis ab aquila sublatis signa eburna duo aut plura Adonidis torum ebano auroque instructum sustentantia inferius ut clare ostendit ἄνω v. 125, aut v. 40 δάκνει ἵππος ubi non meminerant feritatem animalis solere hoc ordine notari *ecum mordacem calcitronem* (Varro Sesculixe fr. 479) *vervecem quietum non mordacem nec calcitronem quidem* (Appuleius metam. VIII 25). sed tot restant versus quos partim iam expediisse mihi videor (ut v. 50 ἐρίσαι Dorice ἐρίσαι id est παιῖαι φιλονικοῦντες, nam παιῖνα accusativus est, vel v. 15 λῶμες, nam propter magnam quam mulieres nostrae quoque decantant loturam vir missus est emptum lomentum ac fucum, vel v. 101 χρυσῶνις ἴδοις Ἀφροδίτα οἶον) partim nondum extricavi, ut peculiarem admirabili carmini dissertationem oporteat reservari.

len. reg. p. 59). hos enarrat quodam modo Theocritus laudans primum patri matrique instituta templa et signa et menstrua sacra — haec enim significat v. 127 *μησὶ περιπλομένοισιν*, quo de ritu nuper C. Curtius Hermae VII p. 132 et Vsenerus noster in actis inst. arch. 1874 p. 77 dixere, Augusteae consecrationis caussa placet Vergiliana memorare ecl. I 42 *quotannis bis senos cui nostra dies altaria fumant* — deinde fratris et sororis conubium. quod si nummi quando signati sint certo indicio constaret, vivo autem Philadelpho ac non in memoriam eius ab Euergete aurei hi octadrachmi percussi sunt, tempus etiam carminis minus foret obscurum.

Versu 19 recte libri *αιολομίτρας*, quod qui restitui iusserat Bergkius, contra eum prolata sunt a magno viro levia et pusilla. Alexander ornandus erat, non Persae. Homericum epitheton (E 707) adsumpsit poeta in alium significatum deflectens, novo distinguens lepore. senties si Callimachi memineris vaticinantis *σωατήρων γένος, ᾧ ὑπὸ μίτρῃν ἔξεται οὐκ ἀέκουσα Μακηδόνη κοιρανέσθαι ἀμφοτέρῃ μεσόγεια* IV 168 ubi scholiasta *ὑπὸ τὴν βασιλείαν, ὑπὸ τὴν ἀρχήν*.

Berenicen optamus ut tandem desinant sororem Ptolemaei coniugis eodem patre genitam fingere. *Λάγον μὲν Φρυγατέρα* scholiorum ad v. 34 codex aut nullus habet aut qui nullius instar est. *Γαμάου* et *Γάμου* prodiit ex libris, ex Ambrosiano *Βόγα* probum nomen quod a Persis traxisse Macedones putes. discrepantia tamen ista me commovit ut patri Berenices idem quod filio eius nomen fuisse conicerem, *Μάγα*. ad v. 81 nequis turbetur monstris Ambrosiani aut potius Ziegleri terriculis, adnotarat scholiasta *λγ' id est τριάκοντα τρεῖς*.

Venus Berenicen ereptam Stygiis fluctibus consecravit: tu in templo collocasti, *ἕως δ' ἀπεδάσασο τιμάς* versu 50. fluctuant libri inter *ἕως τιμάς* et illas formas, pluralis in scholiis legitur, nam Ambrosianus quoque in quo *ἀπεμερίσω τὰν σάν τὰς τιμάς ἀπένεμας ἀντῆ* editor videtur invenisse, tendit ad illa *ἀπεμερίσω. τὰς σαντῆς τιμάς ἀπένεμας*. nihilo minus singulari opus est quam maxime. neque enim cum accusativo *ἀποδάσασθαι* legitime coit eius rei quam partimur, quia est partem rei tribuere *μεταδοῦναι τι* (*ἡμῖνον, ἴσον, ὅσ' ἐπέουκεν*), et accusativum si tolerem, certe qui honoribus cedentem omnibus Venerem facit pluralem respuam. ergo adsentior Fritzschio et exemplum adpono Callimachi hym. IV 9 *Δήλω νῦν οἴμης ἀποδάσσομαι*.

Puerum augustum Cos adlocuta honorem petit in Delon conlatum ab Apolline pergiturque petere v. 68 *ἐν δὲ μᾶ τιμᾷ Τηλοπον καταθεῖο κολώναν ἴσον Δωριέσσει νέμων γέρας ἔγγυς εὐσοῖαν ἴσον καὶ*

Ῥήναιαν ἀναξ ἐφίλησεν Ἀπόλλων. in quibus iteratum Ἴσον merito librariorum nescio quos, tum Valckenarium offendit ac novissimos editores, inter quos fuere qui versum ex illis medium obelo notarent. at hic versus abesse nequit ne tenebrae fiant ex luce, si quidem dempto eo cur Triopium Cos pari ac sese honore adfici velit prorsus est obscurum, adiecto palam ac manifestum. conveniunt enim Coi ad Triopium cum *Δωριέεσσι ἐγγὺς ἐοῦσι* gentilitatis. et vicinitatis iure foederati. nec verba non sunt omnia bene enuntiata Homericisque locutionibus Ἴσον ἔχω γέρας et clausulis ἐγγὺς ἐόντων al. bene adsimilata. verum insequentis versus Ἴσον καὶ Ῥήναιαν mihi tam absurda sententia videtur ut hunc censeam ex pulcro corpore quasi cacoethes excidendum. non moror Ῥήναιαν formam quam facile correxeris cum Lobeckio in *Ῥήναιαν*, nam *Ῥήναια* praecipit Herodianus ut efferatur *παροξυτόνως* id est producta ultima, eamque servarunt accentus notam quamvis repugnantem metro Byzantini in Homericis Apollinis hymno Del. 44. ea insula quod Delo adhaerebat unaque consecrata Apollini erat, hoc sane habuit similitudinis cum Triopio Cois propinquo simulque favorem experto Philadelphi, cetera autem et id ipsum quod in hac Deliorum cum Dorico conventu comparatione agitur honos ac decus tam inaequalia fuere ac diversa, quam musca et elephantus. nam Rhenaeam ingloriam et ignobilem, solis Deliorum necessitatibus destinatum praeter hos nemo respiciebat, Triopium autem Doriensium circa habitantium conciliabulum ac sedes erat propter conventum publicum ludosque ipsa Co insula celebrius. itaque quod multis placuit in extremo versu *ἴσον, honore Triopium Dorisique tanto prosequaris quantum Rhenaeam Apollo amavit*, hoc est mehercule diram foederatis civitatibus imprecari ignominiam et ad lapicidas damnare Cnidios et Rhodios cunctos. nec si *οἶον* vel *ᾠσπερ* sive quamlibet aliam copulam inserueris, multum voti declinabis stultitiam: propulsandum est inauspicatum Rhenaee nomen. quo facto sententiam retinemus omnibus numeris absolutam. nam cum Delos quidem ipsa praefuisset inclutae Ionum amphictioniae ac panegyri Apollinari, Doriensium autem quos regis gratia iuvit conventus ludique non in ipsa Co sed in Triopio fierent, ut exaequaret Con cum Deli gloria, arcessere poeta etiam Triopion debuit arcessiitque *ἐν μιᾷ τιμῇ καταθέμενος* unum colligens ex duobus. interpolationis quaedam fortasse praeter repetitum Ἴσον vestigia extant. primum enim nolo omittere quamquam propter recentem codicis originem ipse parvi id aestimo, quod cum suppositicii versus verbis soleant variari, in uno exemplari hemistichii posterioris forma haec scripta est

ἐφίλατο Φοῖβος Ἀπόλλων. plus apud me alterum valet hoc indicium. post versum 110 libri versum 90 iterant aut totum et integrum aut tam rudi admixtione proximorum innovatum ut caussa mendii non lateat. eum bis scriptum fuisse liquet in archetypo, sive quod natantem in margine librarius deprehenderat sive quod paginas duas ut in transcribendo fit inter se permutans ex ima priore retraxerat in imam posteriorem. unde perquam credibile est vetustioris codicis in hac parte paginas vicenis versibus constitisse versumque 70 a quo quadraginta versus sunt ad interpolatum illum καὶ νάσοις (post 110) aequè incertum in margine locum habuisse aut imae paginae adhaesisse factum ab homine Byzantino male docto. ne in scholiis quidem quidquam inest quod ad antiquiora nos tempora vocet, est autem unum quod ad infima. cum enim narrent de Rhenea νῆσος οὕτω λεγομένη ἦν καὶ Δῆλόν φασιν aut νῆσος παρακειμένη τῇ Δῆλῳ, ἦν καὶ Δῆλόν φασιν, id insulae nomen tribuunt quod antiquitati fuit ignotum sed nunc in usu est, quando accolae Delon et Rheneam Delorum vocabulo comprehendentes hanc Delon magnam appellant. discant eam rem qui verba scholiastae gravissima ereptum ibant ex Bursiani geographia gr. II p. 451, quam paginam dum perlustro, incurrit oculis simul et vocis aliquid exprimit inter Deliacorum auctores Demades relatus. fatebor enim dubitare me an errore Suidae ad Demaden translata sint quae ex Deliaco Hyperidis multi laudarunt.

Virtutes Ptolemaei ceteras persecutus poeta ad singulares atque eximias transit versu 121: *μοῦνος ὄδε προτέρων κτλ. solus parentibus aedificavit templa.* verum non transgreditur sed translutat, tam praeceps oratio est, abscissa dissoluta. qualem etsi ad mirificas res non raro a poetis adhiberi scio, tamen hic molestissime ferimus. quod enim carminum praeconia modo dicta sunt communia esse Ptolemaeo cum Atridis, solus autem iam dicitur omnibus quicumque fuerint sintque praestare pietate, quoniam duo haec inter se conexa aptaque sunt cogitanti, proloquente non licet ea separare aut discindere. neque ὄδε magnifici aut augusti quidquam adfert. *gloria etiam Atridis manet quorum Priameiae opes evanescere, μοῦνος δὲ προτέρων* — dudum id reposueram cum clare scriptum inveni in lemmate scholiorum quae Zieglerus edidit p. 97. in paraphrasi necesse fuit propter antitheta poni οὕτως δὲ μόνος τῶν θανόντων, quibus verbis et comprobatur δὲ et ratio corruptelae patefit.

Scrpsi — ut in fine interpreter quem non ceperunt docti lusum epigrammatis XI, *μνημα τόδ' Εἰσοθέως καίπερ ἄκις ἐών* — mense Augusto anni LXXIV.